

1657, 21

23

Ungepaar.


PROGRAM-
MA.

PROGRAMM
MIA



DECANUS
COLLEGII JURIDICI IN
ACADEMIA JENENSI
ERASMUS UN-
GEP AUR, J. U. D. Profes-
sor Publicus, & Ordinarius,

L. B. S.



Um hisce diebus, Vir Juve-
nis, eruditione insigni, vari-
arumq; rerum cognitione,
& morum elegantia admo-
dum conspicuus, Dn. WIL-
HELMUS LEISERUS, Jurium
Candidatus Clarissimus, à
Collegio nostro Juridico nomen suum in nu-
merum Candidatorum juris referri, seq; ad Ten-
tamen consvetum, quod Candidati subire so-
lent, admitti modestè peteret, utrumq; sine diffi-
cultate impetravit. Etenim honesta petenti,
non est facilè denegandus adensus. Et cum in
hoc Tentamine suam industriam, inq; jure pro-
fectum laudabilem sufficientissimè probârit, di-
gnis-

gnissimus statim iudicatus est à Dnn. Examinatoribus, cui lectio Cursoria committeretur, in qua nobilissimam & difficilem Constitutionem Imperatoris Justiniani, quæ habetur in L. Bene à Zenone. 3. C. de Quadrien. præscript. doctè ac luculenter explicabit. Noster autem Candidatus (ut de vitæ ejus curriculo, more usitato, aliquid impræsentiarum dicamus,) natus est Wittebergæ d. XXIV. August. Seculi præsentis Anno XXVIII. ac Parentes habuit WILHELMUM LEISERUM, SS. Theol. D. Prof. P. & c. Ecclesiæ Cathedralis Ingenuæ Misnensis Decanum: & REGINAM, Viri Jcti, GABRIELIS TUNZELI, Ser.^{mi} Sax. Electoris JOH. GEORGI I. fel.^{ms} record. Consilarii intimi filiam. Domi ab his educatus, & privatim à quibusdam studiorum causâ tunc Wittebergæ commorantibus institutus est. U-nus ex illis Vir plur. Reverendus Ampl.^{mus} Excell.^{mus} JOH. MEISNERUS, SS. Theol. Doct. qui Professorio suæ Facultatis munere publico nunc Wittebergæ fungitur, fuit. Cæperat Phil. Professoribus operam dare, jamq; animum ad discendum propensum Oratione ac disputatione publicâ testatus erat, cum Parens in Illustrem hanc studiorum causâ An. XLIV. eum ablegat: advenientem Beati Viri Theologi, MAJORES,
Pater

Pater & Filius, alter convictu, Musæo alter, exce-
pere. In tertium hîc substitit annum, & Philo-
sophiæ studia, quæ futuro Theol. studioso, po-
tissimum usui esse possent, tractavit. Id nempe
in votis habebat B. Parens, ut sua, ut Avi paterni
ac aliorum agnatione conjunctorum vestigia in-
sisteret. Sed fata & summa in ipso animi inclina-
tio ad Jurisprudentiæ studium vocabant, ac vi-
debatur noster hâc in re magis maternam cogna-
tionem, quàm genus à Patre exprimere. Itaque
jam tum libenter Disputationibus & aliis Exer-
citationibus publicis Jctorum N. orum intere-
rat, cum Pater domum revocat, & consilii, quod
ipsi de genere studiorum in sequens tempus ef-
fer, certior factus, Viro Mag. co Nob. mo Ampl. mo
Consult. mo AUGUSTINO STRAUCHIO, J.C. Ce-
leberrimo, Com. Pal. Cæs. Acad. VVitteb. Or-
dinario & c. Ser. mi Sax. Electoris in Supr. Appel-
lat. Judicio Consiliario & p. t. Francofurti inter
Imperii Deputatos Legato Excell. mo studiorum
causâ commendat. Vixjecerat fundamenta Ju-
risprudentiæ studio sub Tanto Viro, cum cele-
britate famæ Virorum Jctorum JOH. BRUN-
NEMANNI & HENNINGI GROSSII, commotus
Francofurt. Academiam ex voluntate Parentis
adiit. Nondum integro anno in eâ exacto tri-
sti

sti admodum nuncio de præmaturo obitu Parentis p. m. Optimi percellitur. Grave quidem ex tanto vulnere damnum tunc sensere studia ipsius, mox melior tamen fortuna iterum illa respexit. Nempe à Patre Amita, Viri Ampl.^{mi} Consult.^{mi} Excell.^{mi} ERASMI UNRUHENS J. U. D. & P. P. Witteb. Vidua improlis, genio suo in amorem ipsius impulsâ, juvare eum instituit, & porrò liberaliter id præstitit. Huic itaq; & item Generosis Dominis à VELTHEIMB, qui aliquandiu Schulenburgiaco stipendio frui eum volueret, plurimum se debere fatetur. Cæterum ex illo tempore Jctos in patriâ Academiâ celeberrimos B. REISNERUM, GODOFREDUM SUEVUM, (qui Facultatis suæ Decanus potestatem ipsi aliquando dedit præsidendi collegio disputatorio ad Instit. privato:) HENRICUM COSELIUM diligenter audivit. Imprimis verò ad memoratum STRAUCHIUM se applicuit, Exercitationibus ipsius variis interfuit, Præsidio ejus Cathedram Juridicam aliquoties publicè conscendit, & inter alias Disputationem, quam de CONSISTORIIS ECCLESIASTICIS conscripserat, defendit. Hinc factum est, ut amore Viri sibi conciliato, ab Eo ad Comitata Imperialia, ad quæ ille pro Legato à Ser.^{mo} Sax. Electore ibat, inter Comites Ratisponam
An.

An. EII. duceretur. Incunte vere sequentis anni in Italiam abiit, & aditis celebrioribus in eâ locis ad Neapolis oram usq; excurrit. Inde circa dicti anni finem in Gallias transgressus annum unum in illis substitit. Postea Belgium, Fæderatasq; Provincias celeriter transiens Anno LV. in patriam redux factus est. Quo quidem itinere nullo se loco pluribus benevolentia demonstinationibus exceptum esse, quàm Pisis à GALBOTTO, CHESIO, de VECCHIIS & ZEFFINO Juris Antecessoribus ibidem id factum fuerit, cum honore Gener.^{orum} & Excell.^{orum} Virorum commemorat. Post reditum in patriam ferè Amicorum rebus componendis se dedit, accessumq; ad usum Jurisprudentiaë practicum fecit: quâ in re sæpè Ampl.^{mi} & Consult.^{mi} Viri CHRISTOPHORI BRESLERI Synd. Witteb. & Facult. Jurid. Assessoris &c. consiliis adjutus est: donec Amicis & propinquis visum fuit, ut in Illustrem hanc se conferret, & potestatem assumendi dignitatem Doctoratus concedi sibi à Jectorum in ea Ordine peteret. In quâ re, ut dixi, assensum ipsifacile est. Itaq; Lectionem Cursoriam, cujus supra facta est mentio, Candidatus noster d. 5. Febr. & sqq. diebus, horâ X. antemeridianâ, Deo volente in Auditorio Jectorum habebit: in
qua

qua uti diximus d. l. Bene à Zenone 3. eruditè ex-
plicabit: ejusq; occasione quædam, de summâ
Imperatoris Majestate differet. Cui Lectioni
ut jurium Studiosi frequenter interesse velint,
sub gratâ talionis lege enixè rogo. P.P. Jenæ d. 1.
Febr. Anno Christi 1657.

ULB Halle


3

005 125 669



1077





nens
ule
usu
cel
irtu
præ
V
abis
ra
Tibi
no
am
rahi



1657, 21

23

Ungepaart

PROGRAM- MA.

